

res, alij superiores prius, alij inferiores, deniq; omnes maturius dentiunt, quorum nutrices lac habent calidius.

De aduentu lactis in muliere, & malo pilari, deq; lactis duratione. Cap. XI



10 **P**ost partum, purgationesq; lactis copia excitatur, & nonnullis effluit non solum de papillis, sed etiam passim per ubera. aliquibus etiã per alas, edurantq; in posterũ globuli, quoties humor non coquatur, nec exeat, sed redundet. ubera enim tota fungosa ita sunt, ut si in poculo pilum fortẽ hauserit mulier, dolor moueatur in mammis, quod malũ

*τριχία pilare
malum in mam
mis.*

10 pilare appellant, nec sedatur donec pilus uel pressus exeat sponte, uel cum lacte exugatur. Seruatur lac donec mulier concipiat, tum desinit atq; extinguitur, tam in homine, quã in quadrupedum uiuiparo genere. Quandiu lac emanat, purgationes magna ex parte non fiunt: magna inquam ex parte, quoniam iam quibusdam lactantibus facta purgatio est. Sedenim natura ita fert, ne humor locis pluribus simul erumpere soleat. nam & mariscas habenti, deteriores accedunt purgationes. & quod in nonnullis accidit, cum delapsus humor à lumbis per anum excernitur, antequã uterum subeat, idem euenit. Quibus dum etiam purgationes non fiunt, inciderit uomitus, securius exigunt.

Pueros ut plurimum ante septimum diem conuulsione interire. Cap. XII



20 **O**lent pueri plurimi conuulsione excipi, & præcipue corpulentiores, & lacte uescentes copiosiore, crassioreq; & nutricem lactentes succi plenam, & corpulentã, nocet etiam ad hoc morbi genus uinum, magisq; nigrum quã album, & quod minus dilutum est. atq; etiam ex cibis, qui inflent, plurimi obsunt. Et si alius substiterit, nocuũ est. Plurimi ante septimum diem intereunt. unde fit, ut nomina septimo die imponantur, tanquam saluti iam pueri magis credamus. plenilunio etiam infestantur hoc malo periculosius. & si à scapulis conuulsio oriatur, in angusto spes est.

30 **ARISTOTELIS STAGIRITAE DE
HISTORIA ANIMALIUM LIB. OCTAVVS,
INTERPRETE THEODORO.**

De uarietate actionum, & uictus omnium animantium. Caput I



40 **G**ENERATIO, & reliqua animalium natura ita se habet. Actiones autem & uitæ, pro moribus uictuq; differunt. sunt enim uel in plurimis cæterorũ animalium, uestigia morum animi humani: quanquã hæc apertius in homine discernantur. Inest urbanitas, feritas, clementia, acerbitas, fortitudo, ignauia, metus, fidentia, ira, malitia. atq; etiam prudentiæ imago inest in multis, quemadmodũ cum de partibus docerem, exposui. alia enim eò quod magis, minus ue habeãt, comparatione hominis differunt: homoq; ipse cum multis alijs animalibus ita dissidet. quippe cum aliqua ex his magis in homine habeantur, aliqua in cæteris animalibus latius, alia uero differant proportionem. ut enim in homine ars, sapiëntia, prudentia, sic in nonnullis brutis inest uis quædam eiusmodi altera naturalis. constat hoc ita esse planè argumẽto puerilis ætatis, in qua futurorũ habitum, quasi uestigia & semina uideris. & tamen nihil per id tempus animam hominis differre à belluarũ anima propè dixerim, itaq; nihil remotum à ratione est, si

partim eadem, partim similia, partim ex proportione in cæteris animalibus habentur. sed adeò de inanimatis paulatim, sensimq; ad animata natura transit, ut continuatione ipsa lateat eorum confinium, & medium, utrius nam sit extremi. Iam ab animantium genere primum genus plantarum est, earumq; alia ab alia differt, eo quod magis uitæ particeps esse uidetur. uniuersum autem genus respectu corporum cæterorū quæ anima uacant, ipsum quasi animal est: at respectu animalis, in anime esse uidetur. Sedenim digressus hinc ad animalia continuus (ut modo dixi) procedit. sunt enim maris nonnulla, quæ ambiges animal ne sint, an planta: hærent enim, & detracta complura id genus intereunt. uerbi gratia, pinnae adhærent, ungues euulsi uiuere nequeunt. deniq; genus uniuersum eorum, quæ testa integuntur, plantæ simile respectu gradientium animalium est. Quin & uis sentiendi ita habetur, ut aliqua nullum eius indicium præbeant, alia leuiter & perobscure sentire uideantur. Nonnullorū natura corporis carnosa est, ut eorum quæ tubera appellatur, aut urticae. At uero spongia omnino similis plantis est. Cæterū paruo quodā discrimine subinde alia præ alijs iam adipisci uitā, motumq; uidentur. Quod idem in muneribus etiam uitæ percipere licet. plantarū enim nullum aliud munus esse uidetur, nisi quoad similem quæq; sibi faciant alteram, uidelicet quæ semine oriuntur. sic animalium etiam quorundam nihil muneris præter generationē acceperis. unde fit, ut eiusmodi actiones sint omnium cōmunes. sed procedente sensu, iam ueneri coitus uoluptate uita eorum discrepat, atq; etiam partus, enutriendaq; prolis ratione, itaq; alia simpliciter perinde ut plantæ, officio procreandi funguntur suis temporibus; alia in enutrienda etiam prole laborant, sed cum perfecerint, desistunt, nec ullam insuper seruant societate. Alia quæ prudentiora sunt, & plus memoriæ sortuntur, ciuilius agunt cum prole. Prima igitur pars uitæ animalium in officio procreandi consistit, altera in alendo. In his enim duobus studium omnium uitaq; uersatur. Cibi autem differunt potissimum ratione materiæ, ex qua ipsa quæ aluntur consistunt. incrementū enim quibusq; secundum naturam ex eadem qua constitent, materia fit. Quod autem secundum naturam est, id suaue contingit: sequunturq; omnia eam uoluptatem, quæ secundum naturam est. Degunt igitur animalia locis disiuncta: alia nanq; terrestria, alia aquatilia sunt. quam differentiā trifariam intelligimus, aut enim recipiendi aëris, aut aquæ ratione, altera terrestria, altera aquatilia dicimus. aut quod apta natura sunt seruari temperamēto alterutri, quanq; aërem aquam ue non recipiant. aut etiam quod cibū petant, uersenturq; utrobicq; diutius. complura enim cum recipiant aërem, partusq; faciant in terra, cibum tamen à locis madidis petunt, uersanturq; in humore partem maximā temporis. quæ sola uitam ambiguā agere uidentur, quippe quæ eadem, & uelut pedestria, & uelut aquatica statui possint.

De uictu aquatiliū animantiū.

Cap. II



Aeorum quæ humorem recipiunt, nullum uel pedestre, uel uolatile est, nec cibum sibi ex terra petit, quanquā multa spirabilis pedestrisq; generis humore gaudent, & ita nonnulla, ut ne uiuere quidem disclusa ab aque natura ualeant, ut quæ marinæ testudines appellantur, & crocodili, & fluuiatiles equi, & uituli marini, atq; etiam ex minori genere testudines lutariæ, siue mures aquatiles dicti, & ranæ. hæc enim omnia, nisi aliquandiu spirent, intereunt, & parere, educareq; solent in sicco. Natura omnium maxime animalium superflua, peculiarisq; delphino, & si quid aliud tale, uel in cetaceo genere, uel in reliquo aquatili sit, ut balæna, & quæcunq; fistulam gerunt. hoc enim genus nec terrestre tantum, neq; aquaticū facile dixerim. Siquidem terrestre, quod aërem recipit: aquatile, quod aquam secundum naturā, est. particeps nanq; est

est utriusq; cum & mare accipiat, reddatq; per fistulam, & aërem per pulmonem. habent enim hoc membrū, & spirant. Quamobrem delphinus retibus apprehensus, breui tempore strangulatur, ut qui spirandi facultatem amiserit, foris uero diutius uiuere potest mutiens, & anhelans modo cæterorū spirantium, quinetiam dormiens rostrum exerit supra mare, ut spiret. Sed in utraq; diuisionis tam contrariorū parte collocari hoc genus absurdum est, quamobrē aquatile genus amplius distinguendū uidetur, ut alia accipiāt, reddantq; aquā, ea causa qua spirantia aërem, quo refrigerētur, alia propter cibum. Cum enim in humore cibum accipiunt, fieri non potest, quin simul aliquid humoris admittatur: quod admissum, quo emittant, instrumentū habeant necesse est. Quæ igitur proportione spirationis humore utuntur, 10 branchias habent, quibus autem per cibum humor illabatur, ijs fistula in sanguineo genere data est. Mollibus etiam & crustaceis hoc idem adhibitum est: nam ea quoq; humorem propter cibum accipere coguntur, sed altero illo modo aquatilia sunt, temperationē corporis dico, & uictum, ut quæ accipiant quidem aërem, sed in humore ætatem degant, aut quæ accipiant quidem humorem, & branchias habeant, sed terram petant, unde cibum accipiant, quale unum adhuc tantummodo nouimus cordulum nomine. hic enim non pulmonem, sed branchias habet, egressusq; cibum petit in terra, & quadrupes idem est, ut ad ambulandum idoneus. Horum autem omnium natura quasi peruersa uidetur, sicut marium nonnullorum natura foeminam refert, foeminarum marem. exiguis enim quibusdam 20 partibus suis natura animalium immutata, plurimum toto in corpore differre uidetur, quod latissime in excisis patet, particula enim quadam oblæsa, totum animal in foeminam uertitur, quapropter in prima etiam ortus constitutione minimæ magnitudinis quoquam immutato, dummodo sit principale, efficitur ut alterum masculinum, alterum foemina reddatur: atque si omnino tollatur, neutrum prodeat. Itaq; terrestre etiam & aquatile esse modo utroq; prædicto, parte animalis exigua immutata potest, ut alia terrestria, alia aquatilia procreentur: & alia uitam simplicem agant, alia ambiguam, propterea quod generatione suæ constitutionis materia tali participarint, qualem sibi in cibo assumunt. Charum enim cuiq; suaueq; est, quod 30 per naturam habetur, ut superius diximus. Sed cum animalia trifariam in aquatile, & terrestre diuidantur: aut enim recipiendi aëris, aquæ ue necessitudine, aut corporis temperatione, aut tertio uictus ratione, uitæ prorsus discrimen pro his diuisionum membris consequetur. alia enim temperandi corporis gratia, & uictus ratione, atque etiam recipiendi aëris, aut aquæ necessitate ita degent, alia temperamenti, uictusq; causa tantum. Igitur eorum, quæ testa operiuntur, nonnulla immota aluntur humore dulci, & potulento, qui per spissa transmittitur, cum tenuior ipse mari concocto eliciatur, quemadmodum & primo naturæ ortu instituuntur. Dulcem autem contineri humorem in mari, atque ita transmitti & percolari, constat eo experimēto, quo si ex cera uas tenui latere sinxeris, idq; annexa linea in mare 40 demittas inane die ac nocte una, humoris copiam dulcis intra se colliget. Vrticæ pisciculis fortē incidentibus uescuntur, os in medio habent, quod in maioribus euidentius est. Meatū etiam ut ostreæ, quo excrementū secedat, habent parte superiore. Vrtica enim ipsa quasi ostreorū caro esse uidetur inclusa saxo, perinde ut testa, patellæ etiam secedunt absoluentes sese, ut uescantur. Quæ autē mobilia, eademq; carne uescantia sunt, ijs uictus ex pisciculis est, ut purpuris, sunt enim carniuoræ, & quidem esca huiusmodi capiuntur: quanq; ijs etiam quæ mari pullulant, alliciuntur. Testudines marinæ conchulas petunt, habēt enim os omniū robustissimū. quicquid nanq; in os ceperint, siue lapidē siue quoduis aliud, perfringūt ac deuorāt. exeunt etiā in terrā, & pascunt herbā, laborant plerunq; & intereūt quoties innatantes sic

cantur sole. deferri enim in gurgitem facile nequeunt. hic idem uescendi modus cru-
 staceis est, nam ea quoque omniura sunt, quippe quæ & lapillos, & limû, & algam
 deuorent, atque etiam sterco, ut cancri saxatiles, carnes etiam nimirum appetunt.
 Locustæ uel pisces maiores conuincere possunt. euenit usu, ut locustis polypi supe-
 riores sint, & adeo, ut si eisdem in retibus senserit locusta polypum, præ metu emo-
 riatur. Congros locustæ conuincunt: nam elabi non queunt propter crustæ asperi-
 tatem. Congri polypos superant, sed edere non possunt: læue enim & lapsum po-
 lypî corpus usum hostis effugit. Mollia uero carniura omnia sunt. Pascuntur lo-
 custæ uenatu pisciculorû circa sua cubilia, quæ in alto locis asperis, saxosis, cauer-
 nosisque faciunt. quicquid ceperint ori admouent suo forcipe, ut cancri. incedit lo-
 10 custæ sua natura ante, cum nihil metuit, demissis in latera cornibus: at ubi metuit,
 fugit retro, longeque sua cornua porrigit. Dimicant inter se more arietum cornibus,
 quæ extollentes uibrantesque ferunt aduersariû. sed uniuersæ etiam plerumque tanquam
 gregis collegium uisuntur. Talis uiuendi modus eorum est, quæ crusta operiuntur.
 In mollium genere lolligines atque sepia pisces uel maiores euincunt. Polypi conchu-
 lis maxime extringentes carunculas uescuntur. unde fit, ut eorum cubilia cogno-
 scant, qui uenantur congerie testarum. Quod autem nonnulli aiunt polypum se-
 ipsum esse, falsum est, sed aliqui sua brachia corrosa habent à congris. pisces omnes
 foeturam suo tempore deuorant. Reliqua uictus ratio non eadem omnibus est. alij
 enim carniuri tantum sunt, ut cartilaginei, ut congri, hiatulæ, thunni, murenæ, 20
 lupi, dentices, amia, cernuæ. Mulli uero & carne uescuntur, & alga, & concha, &
 cœno. capitones cœno. dasquilli cœno & stercore. scarus, & oculata alga. salpa ster-
 core & alga. porrum etiam petit, & cucurbita capitur: quod ei ex omnibus uni eue-
 nit. alter etiam alteri sui generis ædit, excepto mugile, sed maxime congri. Capito
 & mugilis soli carne omnino abstinent. cuius rei argumentum est, quod neque in uen-
 tre tale quid unquam habentes capiuntur, neque esca in eos ex carne utimur, sed offa
 panis. Uescitur mugilis unusquisque alga, atque arena. Capito, quem aliqui labeonem
 uocant, littoribus gaudet. alter generis eiusdem translittoranus est, qui non nisi mu-
 core uescitur suo, quamobrem semper ipse ieiunus est. Pascuntur limo omnes capi-
 tones, quo fit, ut graues & sordidi sint. piscem ipsi nullum omnino edunt. & quo- 30
 niam uersari in limo solent, efferunt se, urinaturque sepe, ut corporis sordes abluant.
 Oua foetusque eorum à nulla bellua uiolantur, quapropter copiose existunt. sed cum
 adoleuerint, tunc à cæteris piscibus corripuntur, maximeque ab archano. Gulosus
 omnium maxime mugilis est, atque insatiabilis. quocirca uentre distento grauescit, &
 nisi ieiunus sit, hæret iners. Cum hic metuerit, caput abscondit, quasi corpus totum
 occultet. dentex etiam (ut dictum est) carne uescitur, & mollia appetit. euenit ple-
 runque & huic, & hiatulæ, ut cum pisces minores insequatur, uenter procidat, pro-
 pterea quod piscium uenter iuxta os positus est, nec gula subest. alia igitur (ut dixi)
 carniura tantum sunt, ut delphinus, dentex, aurata, ut cartilaginea, ut mollia. Alia
 magna ex parte luto uiuunt, & alga, & musco, & eo quod caulium uocant, & ena- 40
 scente materie, ut fuca, gobio, omnes saxatiles. Fucæ quamque cætera abstinent carne,
 tamen squillas sæpenumero appetunt. sed alter etiam inuadit (ut dictum est) alterum,
 maiorumque minores sunt præda. argumentum ut carne uescatur, est, quod esca huius-
 cemodi capiant. Amia, thunnus & lupus magna ex parte carne aluntur, sed algam
 etiam tangunt. Sargus nulli reliquias sequitur: nam ubi ille luto excitato abiit (fodere
 enim potest) hic descendit & pascitur, imbecillioresque ne eodem adnatent, arcet. sca-
 rus unus inter pisces ruminare quadrupedum ritu uideat. Cæteris piscibus captura mi-
 norum à fronte agitur ore, ut solent meare. at cartilaginei, & delphini, & omnes ceta-
 cei generis resupinati corripunt, habent enim os subter: unde fit, ut periculum minores
 facilius

facilius possint euadere. Alioquin pauci admodum seruantur, quippe cum delphini celeritas, atq; edendi facultas, mira esse uideatur. Anguillæ pauca quædam, certisq; locis uescuntur limo, atq; edulij, si quis apponat: sed plurimæ dulci humore uiuunt. idq; qui uiuarijs anguillarijs dant operam, seruant, ut quammaxime pura, synceraq; sit aqua, affluens semper, & effluens per ripas, ubi uiuaria extruunt, nam nisi aqua sit clara, breui astrangulatae intereunt, branchias enim habent exiguas, hinc turbare aquam soliti sunt, qui eas piscantur. Et quidem in Strymone amne circa uergilias capiuntur, tunc enim aqua & lutum aduersis flatibus inturbatur, alioquin satius est quiescere. Anguillæ non superfluitant mortuæ, nec sursum, ut cæteri pisces, maxima parte efferuntur: sunt enim uentre exiguo, pingue in paucis inest, plurimæ eo carent, uiuere exemptæ aquis, uel ad diem quintum, sextumq; possunt. & aquilone plures diutius durant, austro minus. & si æstate de lacu in piscinam transferuntur, uiuere nequeunt: sed si hyeme, facile sedis mutationem patiuntur, nullam deniq; uehementem mutationem tolerant, & quidem æstate: etiam si in frigidam aquam transfers, omnes plerumq; intereunt. Quin & si exigua in aqua stabulentur, pereunt, quod idem & cæteris piscibus euenit, strangulantur enim si semper eadem in aqua exigua uersantur, quomodo spirantia animalia intereunt, si in aëre exiguo claudantur. Vita anguillis nonnullis uel ad septem, octoq; annos protrahitur. Victus fluuiialibus etiam tum ex mutua sui generis præda, tum ex herba, radice, & si quid in cæno comperiant, nocte potius pascere, interdum secedere in altum soliti sunt. Talis piscium uictus est.

De uictu auium, & quæ carniuoræ, quæ frugiuræ, quæ uel omniuoræ sint, quæ item cibum è terra, quæ ex aquis petant. Caput III

N auium genere, quibus ungues adunci, omnes carniuoræ sunt, fruges autem ipsæ, etiam si in os indideris, nequeunt deuorare, ut genera aquilarum omnia, milui, accipitres ambo, id est, palumbarius, & fringillarius, qui multum inter se magnitudine differunt, atq; etiam buteo, qui miluo æquiparatur magnitudine, semperq; ipse cernitur. ad hæc ossifraga, & uultur, & ossifragæ magnitudo maior quam aquilæ, color ex cinere albicans. Vulturum duo genera sunt, alterum paruum, & albicantius: alterum maius, ac multiformius. Nocturnarum etiam nonnullæ aduncis unguibus sunt, ut cicuma, noctua, bubo, species similis noctuæ bubo est, sed magnitudine non minor quam aquila. Itæ aluco, ulula, asio. Aluco maior gallinaceo est, ulula compar. picas utriq; uenantur, asio minor quam noctua est, hæc tria simili specie constant, & carne uiuunt. Sunt etiam in genere non adunco, quæ carne uescuntur, ut hirundo, alia qua uermiculos petunt, ut fringilla, passer, rubetra, luteola, parus, cuius genera tria sunt: fringillago, quæ maior est, quippe quæ fringillam æquet, alter monticola cognomine est, quoniam in montibus degat, cui cauda longior, tertius magnitudine sui exigui corporis discrepat, quanquam cætera similis est. Item ficedula, atricapilla, rubicilla, rubecula, siluia, curuca, asilus, tyrannus, cui corpus non multo amplius quam locustæ, crista rutila ex pluma elatiuscula, & cætera elegans, cantuq; suauis hæc auicula est. Ad hæc florus, cui magnitudo quanta fringillæ, & montifringilla, quæ fringillæ similis, & magnitudine proxima est, sed collo cœruleo, & in motibus degit, unde nomen accepit. tum etiã regulus, & frugilega, hæc & reliqua id genus uermiculis partim ex toto, partim magna ex parte aluntur. Spinam appetunt illa, spinus, siue ligurinus, carduelus, item quæ auriuittis appellatur: hæc enim omnia uiscitant in spinis, uermem autem, & quoduis aliud animal aspernatur, dormiunt hæc, & pascuntur eodem in loco. Alia culicibus gaudent, nec alio magis, quam uenatu

Accipitræ

Ossifraga

Vultur

Cicuma ualitoræ

Bubo

Aluco

Ulula

Asio σκῆψ Hirundo

Fringilla σπίζη

Passor

μελαγκόρ-

φος, id est, atricapilla, quam

eandem putant

cum ficedula.

culicum uiuunt, ut pipo, tum maior, tum minor. utrunq; picum martium uocant, similes inter se sunt, uocernq; similem emittunt: sed maiorem, qui maior est. Pascuntur ad maceriem aduolantes. Item galgulus, cui magnitudo quanta turturi ferè est, color luteus. lignipeta hic admodū est, magnaq; ex parte macerie pascitur, uocem emittit magnam, incola maxime Peloponnesū auis hæc est. tum uero enumerādus inter hæc est culicilega dictus, magnitudine parua quanta spinus, colore cinereus, distinctus maculis, uoce parua, qui & ipse lignipeta est. Alia frugibus uiuunt, ut palumbes, columbus, uinago, turtur. uisuntur semper columbi, atque palumbes, sed turtur æstate tantū: hyeme se condit, latitat enim suo tempore. Vinago autumnopotissimū & conspicitur, & capitur, cui magnitudo maior columbo, minor quàm palumbi est. Modus maxime capiendi eam dum se in aquam bibendo propendit, ueniūt ad nostra loca cum iam fecerint prolem. cætera uero omnia quæ æstate accedunt, nidulant apud nos, & carne magna ex parte suos enutriunt pullos, excepto columbaceo genere. Omnium ferè auium, alia uictum à terra petunt, alia à fluuiio, alia à lacu, alia à mari, sed palmipedes in ipsa aqua partem maximā temporis uersantur, & aliqua ingurgitantes se, quærūt quod comedant. fidipedes circa aquam, earumq; nonnullæ terra contentis altilibus uescuntur, quæ scilicet carnem non tangunt. Petit lacus & fluuios ardeola, & albardeola, quæ magnitudine minor est, rostro lato, porrectoq;. Item ciconia, & gauia, cui color cinereus. Ad hæc iunco, cinchilus, albicula, tringa, quæ inter minora hæc maiuscula est, turdo enim æquiparāt: omnibus his cauda motitat. Quinetiam calidris, cui cinereus color distinctus uarie. præterea genus alcedonū aquas adamat, quod duplex est: alterum uocale, harundinibus insidens: alterum mutum, quod ampliore corpore est. utriq; dorsum cœruleum. Trochilus etiam hoc loco ponendus est. Sed apud mare alcedo quoq; uersatur, & carulus. necnon cornices littora petunt, & quæ unda eiecerit animalia, tangunt: nam & his natura omniuora est. tum etiam gauia alba, & fulica, mergus, & rupex uictitant apud mare. palmipedū grauiore circa lacus, & amnes uersantur, ut anas, olor, phalaris, urinatrix. Ad hæc bosca similis anati, sed minor. et qui coruus appellatus est, cui magnitudo quanta ciconiæ, sed crura breuiora. palmipes, natansq; est, colore niger, insidet arboribus, & nidulat in ijs, hic unus ex hoc genere. Item anser maior, anser minor, qui gregatilis est, uulpanser, capella, penelops, aquila dicta marina, & mare adit, & lacum. Multæ etiam herbis uescuntur. Alites unca tum cætera, quæ superare possunt animalia, tum aues aggrediuntur, sed non sui generis. carniuoræ sunt modo piscium, qui plerunq; sibi cognatos rapiunt. Genus auium cum omne potu exiguo contentū sit, tum ad uncis nullus omnino usus bibendi est, præterquā paucissimis quibusdam, quæ & ipsæ raro utuntur, qualis potissimū tinunculus est. miluus etiam uisus est bibere, quanquā raro.

De uictu serpentium, cæterorumq; animalium cortice inteكتورum.

Cap. IIII



Genus animalium cortice inteكتورum, ut lacerti, & reliquæ huiusmodi quadrupedes, atq; etiam serpentes, omniuorū est: nam & carnem edunt & herbam. Serpentes omnium maxime animalium uel cupedia dediti sunt, sed desiderium ijs quoq; bibendi exiguum, & reliquis, quibus pulmo fungosus est, qualem omnia habent, quæ oua pariunt, & quibus parum sanguinis est. Serpentes uini incontinētes etiam sunt: proinde uiperas aliqui uino cum fictilibus ad sepes disposito uenantur, ebræ enim capiuntur. sed cum serpentes carniuoræ sint, quicquid ceperint succo exucto, reliquū totum per meatum sui secessus emittunt. quod idem omnia ferè id genus animalia faciunt, ut aranei: sed his foris sugendo euaporare mos est, serpentibus intus in uentre. accipit serpens

serpens undelibet quod datur, siue auis, siue bellua est. oua etiam deuorat, sed cum acceperit, reducit, & usq; eò retractat, quoad partē nactus postremā ē directo constituat, tum colligit se, in breueq; contrahit, ut quod inditū suprā tenetur, in unum extento corpore deducatur. quod propterea ita facit, quia gulam tenuem habet, & longā. diu & serpētes & phalangia uiuere possunt sine cibo: quod ex ijs, quæ pharmacopolæ, id est, pigmentarij alunt, perpendi potest.

De uictu lupi, ursi, leonis, eorumq; quadrupedum, quæ ex lacubus, fluijsq; uictum petunt.

Caput V

Quadrupedū, quæ animal generant, syluestres, eademq; serratæ dentibus, carne omnes uescuntur: nisi quod lupos aiunt terram quandā cum esuriunt, edere, hoc igitur peculiare luporū sit. herbas autem non alio tempore tangunt, nisi cum morbo laborant, quomodo & canes herba ingesta euomunt, atq; ita purgantur. Lupi hominem illi potius petunt, qui inertes & uniperæ quidam sunt, quàm qui uenatores. Quam autē alij glanum, alij hyænam appellant, corpore non minore, quàm lupus est, iuba qua equus, sed seta duriore, longioreq; & per totū dorsum porrecta. molitur hæc insidias homini, canes etiam (uomitionem hominis imitando) capit, & sepulchra effodit humanæ uida carnis, ac eruit. Ursus animal omniuorū est, quippe qui & fructus arborū quas conscēdit corpore lubrico edat, & legumina, & apes perfringens aluos, & caneros, & formicas. carne etiam uescitur, uiribus enim suis cōfidens, inuadit nō solum ceruos, sed etiam sues feros, si clam repenteq; potuerit agere. taurū aperto Marte aggreditur, conferta iam pugna, sternit se reuipinū, dumq; taurus ferire conatur, ipse suis brachijs amplectitur cornua, ore morsum armis defigit, pro sternitq; aduersarium. Ingredi uel duobus innitens pedibus erectus aliquandiu potest. carnes omnes præmaceratas, & propemodum putres comedit. Leo uescitur quidem carne ritu cæterorū syluestrium ferratorū, sed cibo incontinenter admodū uititur, multaq; deuorat solida, sine ullo dissectu, mox nihil triduo, aut certe biduo edit: ferre enim inedia potest, ut qui iam ad multam satietatē repletus est. parum bibit, excrementū raro emittit. tertio die uel utcunq; accidit, egerit, idq; durum, aridum, & simile ut canis. flatum etiam alui acerrimū emittit, & urinam grauiter olentem; unde fit, ut canes arbores odorentur. mingit enim crure elato, ut canes ad stipites. fœdum quoq; odorē in cibo relinquit ex suo halitu, proscisso nanq; leone interiora grauiter olent. Sunt inter quadrupedes, ferasq;, quæ uictum ex lacu, & fluijs petant. At uero à mari nullum, præterquā uitulus marinus. sunt etiam in hoc genere fiber, satherium, satyrium, lutris, latax, quæ latior lutre est, dentesq; habet robustos, quippe quæ noctu plerunq; egrediens, uirgulta proxima suis dentibus ut ferro præcidat. lutris etiam hominē mordet, nec desistit (ut ferunt) nisi fracti ossis crepitum senserit. Lataci pilus durus, specie inter pilum uituli marini & cerui.

Que animalia lambendo, quæ sorbendo, quæ uel mordendo bibant, quibusq; rebus cornigera omnia pascantur, necnon de uictu suis.

Caput VI

Bibunt, quibus dentes serrati, animalia lambendo: atq; etiam nonnulla ex non serratis, ut mures. Quibus autem continui, sorbendo, ut equi, & boues. ursus neq; sorbendo neq; lambendo, sed morsu. auium cæteræ sorptu. Sed quibus collum est longum, intermittunt, caputq; resupināt. Porphyrio unus, morsu. Cornigera animalia tam fera, quàm urbana, & quibus dentes serrati non sunt, omnia fruge, herbaq; uescuntur, nisi uehementer esuriant, sue excepto, qui minime herbæ frugum uel appetens est, sed radicem maxime ex omnibus animalibus, quoniam rictu aptissimo ad id negocij est,

facilime etiam omniū idem hoc animal ad quoduis pabulum assuescit, & celerrime quoque in pinguedinē proficit pro sui corporis magnitudine. sexaginta enim diebus pinguescit. quantū autem profecerit, ij cognoscunt, quibus ea res curæ est, ubi ieiunium ad faginā constituerint. pinguescit fame præfatigatus triduo. & cætera quoque omnia ferè melius præfatigata fame pinguescunt. faginant à triduo iam qui sues obefant. Thraces per faginam, cum primo die potum præbuerint, post interposito uno die præbent, tum duobus, deinde triduo, atque ita subinde augendo numerū usque in septimū, curant. pinguescit hoc animal hordeo, milio, ficu, glande, piro, cucumere. Sed maxime tum hoc, tum cætera, quibus uenter calidus est, quiete, immotioneque pinguescunt. cæterum sues pinguiore redduntur, etiam cum in luto se uolunt. 10 pascere gregatim pro ætate uelle uidentur. lupo etiam sus obsistere, repugnareque potest. Sexta pars ponderis quantum ponderarit uiuus, absumitur occiso in pilos, sanguinē, & reliqua id genus. Tam sues, quam cætera animalia omnia solent, cum lactantur, extenuari. hæc ita se habent.

Quibus rebus pascantur boues, & de eorum incremento.

Cap. VII



Boues & fruge & herba uescuntur, pinguescunt ijs, quæ flatum cient, ut eruo, & faba fresa, atque etiam ipsa fabarum herba. Et seniores, si cute incisa spiritū adigas, deinde præbeas pabulum, pingues facies. Ad hæc hordeo uel integro, uel pinsito, & à gluma separato pinguescunt, & dulcibus, ut ficu, & passa: uino etiam & frondibus ulmi: sed præcipue 20 sole, & lotione calidæ aquæ. Cornua iuniorū tepesfacta in cera flectuntur, ducunturque facile, quō uolueris. nec pedum dolores sentiunt, si eorum cornua illinantur cera, aut oleo, aut pice. laborant armenta uehementius pruina sollicitata, quam niue. Augentur iuuentæ amplius, cum plus tēporis expertes Veneris degunt. Quam obrem terræ Epiri incolæ, quas pyrrhicas uocāt, annis nouem intactas Venere seruant, ut incrementū ampliter capiant, & setauras nuncupant, has numero quadringentas esse, & proprias regis accipimus, nec posse uiuere locis alijs, quanquā tentatum ab aliquibus est.

De pastu, & potu equi, muli, & asini.

Cap. VIII



Equi, muli, & asini fruge herbaque uescuntur, sed maxime potu pinguescunt. lumenta enim pro aquæ, quam bibant, usu, suo fruuntur pabulo: & quod minus potum aspernatur, id appetentius pabuli est, & plenius obefatur. Farrago pilum expolit, cum frugibus grauida est: sed duris iam horrens aristis inutilis est. Herbae medicæ prima falx uitio datur, & cum foetida aqua rigatur, incōmoda est. Boues claram bibere gestiunt. At equi, ut cameli, turbulentam & crassam suauius bibunt, quippe quæ ne ex fluuio quidem prius hauriant, quam pede inturbent. possunt uel ad quatuor dies tolerare sine potu, mox bibunt quæ multum.

De pastu, & potione elephanti, deque ætate eiusdem, & cameli.

Cap. IX

40



Lephanthus eodem pastu modios Macedonicos nouem, quod plurimū edere potest. Sed tantum dare periculosum est. sex, aut septem dedisse modios, in usu frequenti satis est, sed farinae non plus, quam quinque. uini etiam quinque mares, quæ mensura heminas continet sex. iam quidam amphoras aquæ mensuræ Macedonicæ quatuordecim eodem hausit potu, & rursus à meridie eiusdem diei octo. Viuit magna pars camelorū annos triginta, sed multo plures nonnullæ, nam uel ad centesimū annum facultatem uiuendi protrahunt. Elephantem alij annos ducentos uiuere aiunt, alij trecentos.

Quibus

Quibus herbis oves & capræ uescantur, & de causa impinguationis earundem.

Caput X



Ves & capræ herba uescuntur. pascere oves sedulæ, atque stabiles solent. Capræ loca crebro permutant, summaq; tantū contingunt. Pinguescit potissimū ouis ex potu: quamobrē æstate salem dare die quinto soliti sunt, singulis centenīs singulos modios. sic enim pecus incolume, atque pinguius redditur. Frequēs igitur salis usus eō pertinet, quando & paleis copiam salis admiscunt, ut sitibundæ plus aquæ hauriant: & autumno cucurbitam sale contactam afferunt: quod lac etiam auget. & agitatae quoque meridie, plus postmeridianis bibūt. foetis distenta ubera pendent, quibus salis abunde est. opimat pecus olea, oleaster, aphaca, palea, herba, quæ omnia efficacia sunt ex falsugine respersa. pinguescunt & hæc plenius præfatigata inedia tri-
 10 duo. Aqua ouibus autumno commodior aquilonia, quàm austrina est. & pascua ad solis occasum spectantia profunt. itinera & labores extenuant. indicant pastores ouem ualidiorem, cum hybernīs temporibus pruīnam, quam susceperit, seruat. nam quibus uirium minus, parum præ sua imbecillitate constantes, discutiunt suo motu quantum susceperint. Caro cuiusq; quadrupedis deterior est, cum locis palustribus, quàm editioribus pascit. Sunt porro frigoris patientiores, quibus cauda amplior, quàm quibus porrectior, & glabræ exutiores, quàm uestitiores. crispæ
 20 etiam algoris impatientes sunt. Valent melius oves, quàm capræ: sed robustiores capræ, quàm oves sunt. ouium, quas lupus occiderit, pelles, ac uellera, & facta ex his uestis, longe quàm cætera aptiora sunt ad pediculos procreandos.

De pastione, & potu insectorum.

Caput XI



Insecta animalia quibus dentes, omniuora sunt. Quibus autem lingua, tantum humore undique eliquando sua lingua uescuntur. quorum alia omniuora. Sunt, quibus gustus omniū saporum est, ut muscæ: alia sanguiuora, ut tabani, & asili: alia succis plantarum, & fructuum uiuunt. Apis una nullis putidīs assidet, nec utitur alio cibo q̄
 30 dulci. Aquam etiam libentissime inde hauriunt, quam synceri, clarissimiq; fontes scaturiunt. Talis animalium uictus est.

ἐκχυλίζοντα,
 eliquando, exu-
 gendo.

De actionibus animalium, & rebus in quibus eadem uersantur.

Caput XII



Actionem autem, & omne eorum negocium in coitu, procreatione, atque uictus solertia uersatur: necnon ad frigora, æstus, mutationes deniq; temporum pertinet. inest enim omnibus sensus natiuus mutationis factæ frigore, aut calore. Itaque ut homines alij domicilia hyeme repetunt, alij qui amplioris prouinciæ principes sunt, sedem pro tempore mutant, ut morā æstate locis frigidis, hyeme tepidis trahant: sic bruta, quæ loca possunt permutare, faciunt. Atq; alia subsidium in ipsis consuetis sibi locis comperiūt,
 40 alia peregre proficiscuntur. Iam ab autumnali æquinoctio ex Ponto, locisq; frigidis fugiunt hyemem futuram. A uerno autem ex tepida regione, ad frigidam sese conferunt, æstus metu futuri. & alia de locis uicinis discedunt, alia de ultimis propè dixerim, ut grues faciunt, quæ ex Scythicis campis ad paludes Aegypto superiores, unde Nilus profluīt, ueniunt, quo in loco pugnare cum Pygmæis dicuntur: non enim id fabula est, sed certe, genus tum hominum, tum etiam equorum pusillum (ut dicitur) est, deguntq; in cauernis, unde nomen Troglodytæ à subeundis cauernis accepere. Plateæ etiā migrant, & de Strymone amne ad Istrum aduolant, prolemq; ibi faciūt. abeunt uniuersæ, ac priores expectāt posteriores, propterea quod ubi montem superarint, uideri priores à posterioribus nequeāt. Quinetiam pisces
 L

modo eodem; alij ex Ponto, aut in Pontum tranant, alij per hyemem ex alto in littora teporis gratia ueniunt, contrā æstate ex littore in altum uitantes æstum discedunt. Aues quoq; imbecilliores hyberno & gelido tempore discedunt in campos, ut tepore potiantur: æstiuo autem repetunt montes, ut æstu careant. semper quæ imbecilliora sunt, prius utrauis ratione discedunt. Iam scombri antequam thunnus, coturnices antequam grues: altera enim Augusto, altera Septembri mense incipiunt. sunt profectò omnia pinguiora, quæ de locis discedunt frigidis, quàm quæ de calidis: ut coturnices autumnno, quàm Vere sunt pinguiora. Fit enim ut simul de locis frigidis, & tempore calido discedatur. Sunt etiam Veneris appetentiora uerbo tempore, cumq; ex tepido discesserunt. Sed auium, grues, ut dictum est, ex ultimis in ultima abeunt. uolant flatu sequundo. quod de lapide narrant, falsum est. lapidem enim eas tenere fulcimento, quem, ubi deciderit, accipi utilem ad auri probationem aiunt. Palumbes etiam discedunt, & liuiæ, nec hybernare apud nos patiuntur, atq; etiam turtures, & hirundines: sed columbæ manent. Coturnices quoque discedunt, nisi pauca locis apricis remanserint: quod & turtures faciunt. uolant gregatim, tum palumbes, tum turtures, cum accedunt, & cum suo tempore abeunt. Coturnices cum ceciderint, si serenum sit, aut aquilonium tempus, sociantur, & prospere degunt: sed si austrinum, moleste, propterea quod parum uolant: humidus enim grauisq; auster est. Quam ob rem qui aucupantur, austrum, non aquilonem obseruât. omnino agre propter sui corporis pondus uolant. sunt enim corpore grandiore, quàm suis pennis deferri possint, uociferantesq; ob eam rem uolant, laborant enim quasi oppressæ onere. cum hæc adeunt loca, sine ducibus pergunt. at cum hinc abeunt, ducibus lingulaca, oto, & matrice proficiscuntur, atque etiam cynchramo, à quo etiam reuocatur noctu, cuius uocem cum senserint aucupes, intelligunt parari discessum. matrice forma perinde ac aues lacustres, est. atque etiam lingulaca, quæ linguam exerit prælongam, unde ei nomen. otus noctuæ similis est. pinnulis circiter aures eminentibus præditus, unde nomen accepit, quasi auritum dicas. nonnulli ululam eum appellant, alij asionem. blatero hic est, & halucinator, & planipes, saltantes enim imitatur. capitur intentus in altero aucupe, altero circumeunte, ut noctua. omnes denique aues unca breui sunt collo, & lingua lata, apta q; ad imitandū. Nam & Indica auis, cui nomen psitacæ, quam loqui aiunt, talis est, & loquacior cum biberit uinum, redditur. Gregales ex auibus sunt, grus, olor, platea, anser minor.

De actionibus piscium, quorundamq; terrestrium in fugiendis aduersis.

Caput XIII



Piscium alij, ut dictum est, discedunt ab alto ad littus, & contrā de littore in altum, fugientes exuperantias caloris, & frigoris. Sed præstant pelagicis littorales, quippe qui cibo copiosiore, melioreq; potiantur. quæ enim sol ingruit, plura exeunt, ut fit in hortis: nam & lituus niger propius terrā oritur, alter similis erraticis est. Tum etiā bene ex calido frigidoq; temperata sunt loca maris terrena. quo fit, ut & caro eorū pisciū magis constet, cum pelagiorū humida, mollis, solutaq; sit. Littorales sunt dentex, scarabæus, cernua, aurata, mugilis, mullus, turdus, draco, pulcher, gobio, atque omne saxatile genus. Pelagij sunt pastinaca, genusq; omne cartilagineum, & congrorum albicantium genus, & hiatula, rubelio, glaucus, pagri autē, scorpiones, congru nigrautes, murenæ, cuculi ambigunt. Sed discrimen horum, diuersitate etiam locorum ac temporum existere potest: ut apud Cretam insulam gobiones, omneq; saxatile genus satis pinguescit. Thunnus etiam post arcturum melior est: iam enim eo tempore ab infestatis asili agitatione requiescit, quæ facit, ut sit in æstate deterior. Quin etiam

ἐπαμφοτόπισ-
σοιν, ambigunt, scilicet an littorales an pelagij.

etiam maritimis lacubus genera plura piscium marinorum gigni apertum est, ut salpam, auratam, mullum, alios ferè plurimos. Amias etiam in Alopeconneso reperies. & in Bistonide lacu plurima genera habentur. Monedulæ magna ex parte non subeunt Pontum, sed in Propontide trahunt æstatem, & pariunt: hyemem in Aegeo. Sed thunni, limariæ, amia subeunt Pontum Vere, æstatemq; ibi traducunt. & reliqui ferè plurimi fufanei, & gregatilis generis eodem transeunt. Est sanè plurima piscium pars gregatilis, nec ullus grex caret duce. Petunt autem Pontum pastus gratia, qui uberior & commodior ibi, propter aquarum dulcium admixtionem suppeditatur. Belluæ quoque magnæ pauciores ibidem sunt, nam excepto delphino, & phocæna, quam tirsionem interpretor, nihil in Ponto maleficum est. nec delphinus hic magnus est, quanquam extrà ubi aliquantum processeris, magni habeantur. Tum itaque uictus, tum etiã partus gratia Pontum subeunt. Sunt enim ibi loca ad partionem aptiora, & humor dulcior ac potulentior foetum melius educat. Sed cum pepererint, & proles iam adoleuerit, exeunt post Vergilias statim: & si hyems austrina sit, tardius, si aquilonia, citius, propter sequundi flatus commoditatem: prolesq; adhuc parua apud Byzantium capitur, utpote cum longior mora in Ponto non fuerit. Sed de cæteris & cum adeunt, & cum exeant, constat. Sarda autem una, cum adit, uidetur, & capitur: sed exiens nusquam uisa adhuc est. quod si qua apud Byzantium aliquãdo capiatur, piscatores sua retia lustrant propter exitus insolentiam: cuius rei causa est, quod solæ ipsæ subeunt Istrum amnem, unde fisso flumine per abditum terræ meatum defluunt in Adriam sinum. argumento est, quod ibi contrà euenit, quàm in Ponto: exeuntes enim semper capiuntur, subeuntes nunquam. Thunni dextrorsum terram contingentes subeunt, sed remeant contrà: læuum enim in latus se admouent. quod propterea facere dicuntur, quia dextro oculo clarius uidet sua natura, læuo hebetius. Fufaneis, de quibus loquor, interdium meare, noctu quiescere in more est. pascuntur etiam nocte, nisi luceat luna, ita enim faciunt iter, nec uolunt quiescere. Quidam usuperiti rei marinæ nihilo eos moueri, sed quiescere à bruma ad æquinoctium uernum, ubicunque id temporis sint, asseuerant. Monedulæ subeuntes Pontum capiuntur, exeuntes autem minus. optimæ in Propontide sunt, antequam pariant. At cæteri fufanei exeuntes potius capiuntur, & optimi per id temporis sunt. Cum uero adeunt Pontum, proxime Aegeum pinguißimi capiuntur. quo subinde ascenderint magis, eo macilentiores fiunt. sæpe etiam flatu austrino uehementius occurrante fit, ut cum monedulis & scombris exeant, ac mari inferiore magis quàm circa Byzantium capiuntur. discessum, sedisq; mutationem hoc modo faciunt. Hic idem affectus terrestribus etiam euenit, cum se abdunt, & latent. hyeme enim latebras subeunt, tempore iam tepidiore exeunt. ratio uero & latendi & patendi communis animalium ea est, ut sibi contra utriusque exuperantiam temporis opitulentur. latet aliquorum genus totum, aliquorum partim latet, partim non latet. Testa enim intacta omnia latent, ut in mari purpura, buccinum, omneq; id genus. Sed absolutorum latibulum euidentiùs est: conduntur enim secessu, ut pectines facere uisuntur. aliqua leuiore quodam tegmine superimposito delitescunt, ut cochleæ terrestres, id est limaces.

& adherentiũ mutatio incerta est. Non tamen eodem tempore omnia latent, sed limaces hyeme. purpuræ & buccina canis exortu dies circiter tricenot cõduntur. pectines etiam tempore eodem. sed eorum plurima sanè latent, & algore urgente, & æstu.

ἔγω γὰρ φω-
καίνης ἐν δελ-
φίνος, ἔδιδόν
δὲν γὰρ τῶν
πόντων. Plinius
us sic: Sed in
Pontū nulla in-
trat bestia pisci-
bus malefica,
præter uitu-
los, & paruos
delphinos.

Quo tempore insectorum genera sese abscondant, aut aestus aut hyemis impetu.

Caput XIII



Insecta penè omnia conduntur, præter ea, quæ uitam in domicilijs cum hominibus agant, quæq; prius intereant, quàm annuū tempus excedant. latēt hæc hyeme alia diutius, alia quandiu algor uehemens est, ut apes: nam ipsæ etiam cessant, & latent. cuius rei argumētum, quod minime cibum sibi appositum gustare uidentur, & si qua erepserit, ieiuna spectatur, uentre translucente, nulloq; penitus contento, quod manifestum sit. Quiescunt ab occasu uergiliarū usque ad uer. conduntur autem quæq; locis apricis abdita, & ubi sibi cubile constituere tutius solent.

De genere serpentum, quod hyeme abditur, deq; nonnullis piscibus qui hyeme frigoris causa conduntur, quiq; æstate propter calorem.

Caput XV



Anguinei quoq; generis multa se condunt, ut ea quæ intecta cortice sunt, serpentes dico, lacertos, stelliones, crocodilos fluuiatiles. Mensibus quatuor frigidissimis hæc latent, nec per id tempus quicquam comedunt. Cæteræ quidem serpētes cauernas subeunt terræ, sed uiperæ sub saxis conduntur. Piscium etiam complures latere nouimus, sed apertissime hippurum, quem equiselem nominauimus, & coruulū siue graculum per hyemem, nam hi soli nunquam capiuntur, nisi certis quibusdam temporibus, eisdemq; semper, cum cæteri omnes ferè semper capiuntur. Murena etiam latet, & cernua, & conger. Saxatiles uero coniugatim mares cum fœminis conduntur, quomodo & fœtificare solent, ut turdi, merulæ, perca. Thunni etiam latēt præaltis gurgitibus hyeme, pinguescuntq; à latibulo maiorem in modum. capi incipiunt uergiliarum ab ortu ad arcturi occasum ultimum, reliquo tempore quiescunt latētes, capiuntur nonnulli ex his, cæterisq; latentibus tempore sui secessus, cum se moueant locis tepidis, aut si temporis insolitæ quietes contingant. Prodeunt enim aliquantulo de suo cubili pastum, & præcipue plenilunio, sunt magna ex parte suauissimi, cum latent. Primadæ in cœno se abdunt, cuius rei argumentum est, quod neque eo tempore capiuntur, & dorso fœculento, pinnisq; adductis, oppressisq; spectantur. Verno autem tempore prodeunt, & appropinquant ad terram cœnantes, parientesq; quo tempore fœtu grauidæ capiuntur, tempestiuæq; tanisper esse putantur. Autumno uero & hyeme deteriores sunt. Simul etiam mares plenisemine genitali, lacte appellato, per id tempus cernuntur: itaque præstant ad usum. prole adhuc parua difficile capiuntur: adultiore, iam larga captura propter infestissimi stimulum est. latent alia in arena, alia in luto, ore tantum detecto. plurima tempore conduntur solum hyberno, ut crustata, & pisces saxatiles, & raia, omneq; cartilagineum genus, diebus scilicet frigidissimis, quod ita esse eo argumento constat, quod minime cum algor est, capiuntur. sed piscium nonnulli æstate etiam latent, ut glaucus: hic enim per id tempus se abdit circiter dies sexaginta. Asellus etiam latet, & aurata plurimum temporis. asellum latere indicio esse uidetur, quod longo interposito tempore capiatur. Pisces uel æstate latere documento illo probatur, quod temporibus syderum fiant capturæ, & præcipue caniculæ: mare enim per id tempus euertitur: quod latissime apud Bosphorum patet. limus enim in summa effertur, piscesq; innatant. aiunt etiā si gurgitum ima sæpius teratur, plures eadem sagena capi secundo iactu, quàm primo. Tum etiam magnis imbribus multa apparent animalium genera, quæ antè uel nunquam, uel raro uisa fuerint.

De

De auibus, quæ hyeme occultantur.

Caput XVI



Vium etiam complures cōduntur, non ut aliqui putant, pauca. nec omnes ad loca tepidiora abeūt, sed quibus loca eiusmodi sunt uicina, solita sedi, ijs eò secedere libet, ut & miluos & hirundines agere animaduersum est. Quæ autē procul locis eiusmodi morantur, non mutant sedem, sed se ibidem condunt. Iam enim uisæ sunt multæ hirundines in angustijs conuallium nudæ, atque omnino deplumes. milui etiam de huiusmodi locis euolasse, cum primū apparerent, uisi sunt. Latibulo genera distingui uel adunca uel rectunguia non possunt. nam & ciconia latet, & merula, & turtur, & alauda, de turture quidem maxime omnium cōstat: nemo enim propē dixerim uidisse per hyemem uspiam turturem dicitur. latere autem incipit præpinguis, & quanquam pennas in latebra dimittit, tamen pinguedinem seruat. palumborū aliqui latent, aliqui non latent, sed cum hirundinibus abeunt. Turdus etiam latet, & sturnus, & ex genere unco miluus paucis quibusdā diebus, & noctua.

De quadrupedibus quæ hyeme lateant, de quibus ijs quæ senectutem exuant.

Cap. XVII



Vadrupedum quæ animal generant, hystrices cōduntur, & ursi: sed utrum propter frigus, an alia de causa, ambigitur. pinguescūt ursi per id tempus, tum mares, tum fœminæ uehementer, ut mouere sese facile nequeant. parit etiam fœmina eo tempore, & tandiū latet quoad tempus sit, ut suos catulos in apertum producat, quod uerno tempore mense à bruma tertio facit. Sed quod minimum, dies circiter quadraginta latet: ex quibus bis septem ita sopitur, ut se nihilo moueat: reliquis postea pluribus latet quidem, sed mouetur, & surgit. fœtu grauida urfa, uel à nemine, uel à paucissimis capta est. tempore sui latibuli hoc animal nihil edere certum est: quippe quod neque exeat, & captum uentre intestinoque inani uideatur. Narrant eius intestinū per inediam ita conuiere, ut adductum propē cohæreat. Itaque ursum latebram egressum primum herbam arum dictam degustare, ut intestinum laxetur, & hiet. Glires etiā latent in ipsis arboribus, pinguescuntque per id tempus uehementer. itidem mures Pontici generis. Nonnulla ex ijs quæ conduntur, exuunt id, quod senectus uocatur, quod cutis ultima est, & primi ortus operculū. Sed in pedestri uiuiparo genere de urso, qua de causa lateat, ambigitur, ut dictum iam est. Cortice intacta maxima ferè sui parte secessus suo tempore latent. & exuunt senectutē ea, quibus cutis mollis, nec prædura, & testacea quidē est, qualis testudini (nam & testudo inter cortice intacta enumeranda est, & mus aquatilis) sed qualis stellioni, lacerto, & præcipue serpentibus est. exuunt enim hæc omnia, tum Vere cum egrediuntur, tum etiam autumno. Vipera etiā exuit tam Vere, quam autumno. Cum serpens exuere incipit, ab oculis primū detrahi aiunt, ita ut obcæcari uideantur ijs, qui rem non intelligūt. tum caput exuitur: glabrum enim hoc omnium antequam reliquum corpus appareret, atque una ferè nocte & die senectus tota exuitur à capite orsa & caudam, & cute altera intus subnascente ipsa remouetur. Vt enim fœtus in uolucro secundarum quo cōtentus prodierit, exuitur, sic ista senectute detracta renouatur. Insecta enim eodem modo exuunt senectutem, quibus hoc solitum est, ut silpha, & culex, & ea quorum pennæ uagina continentur, ut scarabæi. sed omnia factio iam quod gigni debuerit, exuunt. nam ut partui uiuiparo secundæ, sic uermiculariæ proli operculum circumrumpitur, æque & apibus, & locustis. cicadæ ubi eruperunt, oleis aut arundinibus insidunt, & cum rupto operculo exeūt, paruum quiddam in eo relinquunt humoris, nec multo post uolant, & incipiunt canere. Locustæ inter marina,

ὡς ὁ μῦς ὁ ποντικὸς ὁ λευκός. Plin. Conduntur hyeme Pontici mures, hi dūtaxat albi.

γίνεται ἢ ἐκδινομένη τῶν γνῶστος ἐκτός. Plin. Vt extra fiat membrana, quod fuerat inuis.

& gammari exuunt, aut Vere, aut autumnno post partum. iam captæ aliquæ sunt locustæ, mollem habentes partem superiorē, quod crusta iam circumrupta detracta quæ esset: inferiorem autē duram, quia nondū esset disrupta. non enim similis in his atque in anguibus exutio fit. latent locustæ menses circiter quinque. Cancrī etiā exuunt senectutem, molliores quidē perspicue, sed etiā duriores exuere aiūt, ut maias. Cum uero exuūt, mollis admodū crusta subnascitur. & quidē cancrī præ teneritate non fatis ambulare possunt. exuunt hæc sæpius anno. Sed quænam lateant, & quomodo, & tempore, atque etiā quæ, & quo tempore exuant senectutem, iam dictū est.

*Non omnia animalia omni tempore prospere ualere, quod uel tempus
auiibus conducatur.*

Caput XVIII

10



Iuunt autē animalia prospere non eisdem temporibus, nec omnibus æque exuperantibus. Valetudines etiā, & morbi per tempora pro generum diuersitate uarie accidunt, & in totum non eadem omnibus ualetudo existit. Iam auiibus profunt squalores, tum ad cæteram sanitatem, tum etiā ad partum, & præcipue palumbis. At uero piscibus, exceptis quibusdā paucis, imbres conducunt. Incommodi contra auiibus anni pluuij sunt, piscibus sicci. quippe cum auium talis natura sit, ut ne bibere quidem largius possint sine detrimento. Ad uncæ igitur aues, ut dictum est, uiuunt propè dixerim sine ullo potu: quod Hesiodus nesciuit, facit enim in narratione obsessio-
Nini, aquilam augurij præsidem bibentem. Cæteræ aues bibunt quidē, sed parum, nec aliud ullum potioni indulgeat, quod pulmonem fungosum habeat, aut pariat ouum. Cum aues ægrotant, plumæ indicium proferunt. turbantur enim, nec posituram eandem seruant quam habent, cum recte ualent.

Quæ animantia pluuia gaudent, quibus uel nocent.

Caput XIX



Iscium genus maxima ex parte annis pluuijs bene (ut dictum est) ui-
uit. ita enim nō modo plus cibi nanciscitur, uerum etiā omnino plu-
uio humore iuuatur, ut ea quæ terra gignuntur. olera enim quamuis
rigentur, tamen non tantum proficiunt quantum imbre, quod inde
arundinibus etiā lacu prognatis euenit. nihil enim ferè accrescunt, 30
nisi aquæ pluuiæ incidant. Indicium uel inde accipi potest, quod pisces plurimi pe-
tant Pontum, ut in eo traducant æstatem. facit enim copia amnium loci illius, ut ma-
re sit dulcius, & cibus largior habeatur, quem ijdem fluuij deferant. Subeunt etiā
fluuios genera piscium complura, & præstant in fluentis & lacubus, ut amia, mu-
gilis, gobiones etiā pinguescunt in fluuijs. denique loca prædita lacus commodita-
te pisces possident optimos. ex pluuijs autem ipsis æstiuimbres commodiores sunt
parti maximæ piscium, & præcipue cum uer, æstas, & autumnus imbribus abun-
darint, hyems contra serenior fuerit. ad summam propè dixerim, cum bene homi-
nibus annus cedit, tunc & piscibus feliciter degere cōtingit. locis autē frigidis parū
uigent. Maxime infestantur algore, qui lapidem in capite habet, ut chromis, lupus, 40
phager, umbra. facit enim lapidis rigor, ut per algorem gelentur, & excidant. Sed
cum plurimis piscium generibus imbres conducant, mugili tamen, & capitoni, & ei
qui à nonnullis murinus uocatur, nocent. fit enim ut pluuijs multi ex his de facili
excæcentur, si modum aqua excesserit. solet enim per hyemem potius capito ita
affici, nam oculi eius albescunt, & macilentus per id temporis capitur, atque ad pos-
tremum malo eodem interit. quod nō magis imbrīū copia, quam algore accidere
uidetur. Iam enim cum alibi tum in Nauplio agro terræ Argiæ, in uadis multi ca-
pti sunt cæci, cum hyems fuisset asperrima. multi etiā albos habentes oculos capti
sunt. Aurata quoque hyeme laborat, sed archanas æstate, eoque tempore extenuatur.
Prodest

Prodest coruulis ferme, præter cæteros pisces annus squalens, quod his quoque ob eam rem commodior est, quia per siccitatem potius tepor accidit. loca pro sua natura genera quæque sibi habent ad incolumitatem commodiora. quod enim natura littorale, aut pelagium est, huic suo loco pro naturæ desiderio uersari commodius est. quod autem ambigit, id comode utroque degere potest. Sed sunt etiã loca quædam singulis propria, in quibus rectius ualeant. Commodiora (quod simpliciter dixerim) loca sunt ea, quæ algarum copia scatent. pinguiores enim locis his capiuntur, qui multis & uarijs locis solent pabulari. Nam & quibus alga in cibo est, abunde pascuntur: & quibus caro appetitur, plures pisces sibi reperiunt. Interest etiam aquilonia sint, an austrina. genus enim longum aquilonijs melius uiget: & quidẽ æstate, loco eodem, in aquilonijs plures longi quam lati capiuntur. Thunni & gladij agitantur a silo canis exortu. habent enim utriusque per id tempus sub pinna, ceu uermiculum, quem asilum uocant, effigie scorpionis, magnitudine aranei, infestat hoc tanto dolore, ut non minus interdum gladius, quam delphinus exiliat. unde fit, ut uel in nauigia sæpenumero incidat. Thunni omnium maxime piscium gaudet tepore, & ob eam rem arenam & littora adeunt. per summa etiam maris innatant, quo teporis potantur. Pisciculi autem seruari propterea possunt, quia spernuntur. maiora enim magni sequuntur. sed ouorum & prolis pars magna proinde absimitur. Cum enim pisces desiderio teporis loca foeturae adeant, liguriunt quicquid attigerint. capiuntur maxime pisces non multo antequam sol oriatur, aut postquam occidit. denique circa solis ortum aut occasum. tempestiue enim iaci tantisper putatur. quamobrem eo tempore piscatores solent retia tollere. tunc enim maxime uisus piscium fallitur, quippe cum noctu quiescant, luce autem iam clariore melius uideant. Morbus pestilens nullus incidere piscibus uniuersis uidetur, qualis plerunque hominibus, & quadrupedum equis, & bubus, & reliqui generis nonnullis accidit, tum feris, tum urbanis. ægrotare tamen & ipsi putantur. & quidem piscatores pro morbi indicio capiunt, cum aliquot extenuatos languentibus similes, & colore immutatos, inter multos pingues ac ualidos eiusdem generis ceperint. Marinum genus ita se habet.

ἑπιμφοῖται
 ζει, ambigit,
 uitam degit ambiguitam.

λυμαίνοντες,
 liguriunt, uastant

30 Quæ fluuiatilibus, & lacustribus piscibus noceant, quo uel ingenio iisdem capiuntur.

Caput XX



Luuiatile & lacustre peste quidem & ipsum immune est, sed nonnullis morbi incidunt proprii. silurus enim canis exortu potissimum (quod sublimis innatet) sideratur, & tonitruo sopitur magno. quod & cyprino accidit, sed leuius. Silurus uel à dracone angue, gurgite parum alto ictus interit. Ballero, & tilloni lumbricus canis exortu innascitur, qui debilitat, cogitque ad summa stagni efferri, quæ æstu intereunt. chalcis, quam æricam appello, uitio infestatur diro, ut pediculi sub branchijs innati quam multi interimant. quod nulli ex cæteris accidit. moriuntur pisces uerbasco herba, quamobrem cæteri, fluuiatiles, & lacustres ea inficientes capiunt: sed phœnices marinos etiam ita piscantur. Sunt qui duobus quoque alijs capiendi generibus utantur. quod enim altos gurgites annium pisces per hyemem uitare solent (Cum enim aliàs dulcis aqua frigidior sit, tum uel maxime eius ima algent) idcirco fossam in fluuium ducunt, quam maceriae iungentes operiunt, & foeno, atque lapidibus stipant, ut quasi cuniculum faciant, aditu patente ad fluuium, unde impletur: tum facto gelu nassa inde piscantur. Alterum genus capturae tale est, cuius usus & hyeme est & æstate. medio amne fruticibus, & lapidibus circumspiciunt, uno aditu dato modo oris. Tum in eo ore posita nassa piscantur, motis lapidibus.

L 4

Testaceo generi anni pluuij profunt, præterquam purpuris: cuius rei indicium est, quod si amnis in mare fluentis aquam gustarint, moriuntur eodem die. uiuit purpura extra mare, quæ capta est, dies circiter quinquaginta. Alit altera alteram, eo quod sua testa gnatum, ueluti algam muscum ue gerit. quæ autem pro cibo ijs afferunt, pōderis causa adhiberi aiunt, ut in libra sint grauiore. Cæteris squalor incommodus est. nam & pauciora redduntur, & deteriora. & quidem pectines tunc magis trahunt ruffum colorem. Iam in Pyrrheo Euripo pectines aliquādo defuerūt, non modo propter ferramentū, quo piscatores abradendo ubertim caperēt, uerum etiā propter siccitates. Cæteris etiā testatis imbres conducūt, propterea quod mare dulcius redditur: sed frigus facit profectō ne uel in Ponto, uel in fluuijs gigni possint, exceptis biforibus paucis. genus nanque unifore potissimum rigore induratur, & interit. Aquatile animalium genus ita se habet.

De morbis suum, eorumq; remedijs.

Caput XXI



Vadrupedum sues tribus morbi generibus laborant, quorū unum raucedo uocatur, quo maxime fauces, maxillæq; inflammantur. sed idem malū, uel qualibet alia corporis parte contrahi potest. Iam enim plerunq; in pedem, aliās in aurem decūbit. Putrescit protinus membrum, & ulcus serpit, donec ad pulmonē deueniat, quo tacto mors sequitur. crescit hoc uitiū celeriter, nec potest sus quicquam edere cum ita agrotat, etiā si quantumlibet sit morbi incrementum. curatur à porcarijs, cum malū incipere senserint, haud alio modo quām tota parte abscissa qua cœperit. Reliqua duo genera eodē uocabulo nominantur struma. quorū alterū dolor capitis & grauitas est, quo plurimi laborare solēt: alterū alui profluuiū est, quod irremediabile incidit. alteri succurritur ex uino adhibito naribus, eoq; ipso dilutis, sed difficulter eo quoq; periculo subtrahitur. bīduo enim aut quatrīduo interitus obuenit. Rauescunt potissimum eo anno, quo montes abunde tulerint, & pinguisimi sint. lūuat mora celli dedisse in cibatu, & balneū multū & calidum, & uenæ sub lingua sitæ cultello adacto sanguinē detraxisse. Grandinosi autē fiunt sues, quorum crura & collum & armi carne constant humidiorē, quibus partibus uel grandines plurimæ innascuntur. caro dulcior est si grandines habet paucas: sed si multas, humida ualde, & insipida est. Facile qui grandent cognoscuntur: parte enim linguæ inferiore grandines habentur, & si setam dorso euellas, cruorē in radice pili euulsi uideris. Pedibus etiam posterioribus constare non possunt, qui grandent. carent grandine cum adhuc lactent. tolluntur grandines tipha, quæ uel in cibatu utilis est. Sed præcipue alunt, & opimant ficus, & cicer. cibus deniq; non simplex, sed uariis sagina optima est. gaudent enim sues pabuli mutatione, quemadmodū & cætera animalia. tum etiā fieri aiunt cibi uarietate, ut partim infletur, partim impleatur carne, partim opimetur. Glandes suauiter quidem à suis comeduntur, sed carnem humidam faciunt si solæ dantur. & si grauidæ glandem copiosius ederint, abortum faciūt, ut oues: quibus constātius hoc glandibus esitatis accidit. unum ex omnibus quæ nouimus animalibus, sus grandinem concipit.

Ἐπὶ πλὴν ἀνθρώπων. id est, excepto homine. Leuiter Theodororum uisus est accusasse Leonicen. affirmās legendū fuisse, πρὶν ἀνθρώπων. id est, prius homine.

Quibus morbis infestentur canes.

Caput XXII



Anes tribus laborant uitijs, rabie, angina, podagra. facit rabies furorem, & quæ momorderint, omnia rabiūt, excepto homine. Intereūt canes hoc morbo, & quæ morsa sunt, t excepto homine. Angina etiā interimit. & podagra tētati pauci euadere possunt. Rabies camelum etiamprehendit. Elefantos cæteris malis immunes aiunt, inflatio-
ne autem alui acrius infestari.

Morbi

Morbi boum gregalium.

Caput XXIII



Oues gregales morbis duobus tentantur, podagra, & struma. facit podagra ut pedibus intumescant: & quamuis non intereant, tamen ungulas amittant. ualent melius cornibus pice illitis calida. euenit struma, ut calidius frequentiusque spiratur. quod denique in homine febris, idem in boue struma est. indicium morbi, ut demissa aures flacceant, & ut comedere nequeant. breui moriuntur, ad apertisque pulmo inspicitur putris.

Quibus morbis laborent equi gregales, domesticique, & de morborum indicijs & remedijs, necnon de hippomane, & potu equorum, & boum. Caput XXIII



10 Quorum gregales morbo immunes sunt, excepta podagra: hoc enim uno laborant, & plerumque ob id ungues amittunt. Sed amissis alij statim enascuntur. fit enim ut altero subnascente ungue, alter amittatur. Indicium morbi, ut alter testium dexter palpitet, uel ut paulo citra nares cauum quiddam rugosumque gignatur. At uero equi domestici morbis plurimis obnoxij sunt. laborant ileo dicto, id est tenuioris intestini morbo: cuius mali indicium, ut crura posteriora attrahant ad priora, & ita summoveant, ut propemodum collidant. Si, ubi antea diebus aliquot sponte ieiunarint, mox in furorem uertantur, sanguine detracto iuuantur. Capiuntur etiam rigore neruorum: cuius indicium, uenae ut omnes neruique intendantur, & caput ceruicesque immobiliter 20 geant, rectisque cruribus gradiantur. Suppuratione etiam equi infestantur. Vitiū quoque eorum est, quod hordeatio dicitur, cuius indicium, ut palatum molestat, & feruētius spiret equus que ex consueto. nullū huius mali remedium est, nisi sponte naturae emendetur. Quod autem lymphari dicitur, tale est, ut equus ad tibiae sonum quiescat, & demittat frontem. cum uero conscenderit, citetur contentius donec retineas. demissus etiam semper tristisque est, si rabie tenetur: cuius indicium, ut auriculas demittat ad iubam, rursusque protendat, idque uicissim facitet. Irremediabile etiam malū, si cordis dolore uexatur: cuius indicium, ut latera subsidant, & ilia praefringantur. & si uesica dimoueatur de suo situ: cuius indicium, ne urinam reddere possit, & ut ungulas, clunesque trahat. & si pastinacam deuorarint, cuius magnitudo, quae uerticilli bestiolae est (nam morsus 30 muris aranei, uel caeteris iumentis molestissimus est) pustulae hoc excitantur, & periculosior quem defixerit grauida. pustulae enim rumpuntur, ex quo interitus sequitur, sed si non grauida est, non interimit. quinetiam ea quam alij chalcidam, alij dygnidam uocant, suo morsu aut interimit, aut uehementem dolorem mouet. similis haec paruis lacertis est: sed colore serpentis, quam caecilia nominant. denique homines usuperiti totidem ferē morbis equum, atque etiam ouem infestari, quot hominem referunt. interit ueneno sandaracae & equus, & quoduis iumentum, siue ueterinum. datur in aqua percolatum. abortum etiam facit equa odorem sentiens fungi fumigantis lucernae extinctae, quod & mulierum nonnullis accidit. haecenus de equorum morbis. Quod hippomanes uocant, haeret quidem fronti nascentis pulli, ut narratur. Sed equae per 40 lambentes abstergentesque, id abrodunt. quae autem de hoc fabulantur, figmenta muliercularum, & professorum carminis incantamentorum esse credendum potius est. Emitti etiam ab equa prius quam pullum, quod pulium dicitur, certum est. equi uocem quoque agnoscunt equorum quibus cum pugnarint. Gaudent pratis riguis, & paludibus. bibunt enim aquas libentius turbidas. quod si clara est, inturbant eam ungulis suis, & cum biberint, lauant se totos, lymphisque potiuntur. balneum enim omnino hoc animal adamat, & aquae deditum est. quamobrem natura etiam equi fluuiatilis ita constat, ut uiuere nisi in humore non possit. Bos contra quam equus, nisi aqua sit clara, frigida atque lymphida, bibere nolit.

Asinos uno morbo laborare, frigorisq; impatientes esse.

Caput XXV



Sini uno maxime morbo laborant, quem malidam uocant, quod utrumque in capite oritur, facitq; ut per nares pituita multa, ruffa q; effluat, quæ si ad pulmonem descenderit, moriuntur, sed si in capite est, non infert interitum. Impatiens frigoris maxime hoc animal est; quapropter Pontica & Scythica terra asinis caret.

De elephantorum morbis, & eorum curatione.

Caput XXVI



Elephanti morbis inflatione contractis laborant: quo fit, ne possint excrementum uel uesicæ, uel alui reddere. Aegrotant etiam si comedant terram, nisi ea frequenter utantur: nam si frequenter, nihil sentiunt mali, lapides etiam interdum deuorant, nec non fluore tentantur, quo, cum uires languerint, curantur potione aquæ calidæ, & cibo fœni melle imbuti. utrunq; enim id sistit profluuium alui. si per insomniam fessi sunt, armis perfricatis ex sale, oleo, & aqua curantur. cum humeri dolent, carnibus suillis assis appositis iuuantur. Oleum alij bibunt, alij non. & si spiculum in corpore inest, eiicitur eo quod biberit oleo, ut aiunt, qui autem oleum non bibunt, ijs radix tyrtami decocta in uino datur. Quadrupedum res ita se habet.

De morbis insectorum, & precipue apum.

Cap. XXVII



Insectorum maxima pars eo tempore ualet, quo gignitur: uidelicet cum annus talis, quale uer, humidus & tepidus est. Apibus bestiolæ quædam in alueis innascuntur, quæ fauis officiant. Vermiculus item specie aranei nocet fauis, quem alij clerum, alij pyraustam uocant, hic sibi similem forma aranei parit in fauo, & facit ut examen aegrotet, obest etiam alia quædam bestiola similis hepïolo papilioni, qui lucernarum luminibus aduolat. hæc puluerem spirando in alueo parit, nec aculeo ab apibus stimulatur, sed tantum fumo abigitur. Eruca quoque nascuntur in alueis teredines dictæ, quas apes non insectantur, ægrotant potissimum, cum sylua flores æruginosos tulerit, atque etiam temporibus siccis. Intereunt insecta omnia tacta ex oleo, sed celerime, si capite illito exponantur soli.

Animalium differentia pro locorum uarietate.

Caput XXVIII



Diuersitate etiam locorum differentia oritur, ut enim locis nonnullis gigni omnino aliqua nequeunt, sic alijs generantur quidem, sed pauciora, & uita breuiore, nec prospera. locis etiam uicinis discrimen huiusmodi existit: ut agri Millestij locis sibi propinquis cicadæ alteris gignuntur, alteris non. Annis in Caphallenia insula dirimit, cuius citra alterum latus cicadarum copia est, ultra alterum nullæ. In Pordoselena, uia interiacet, cuius ultra alterum latus gignitur catus, citra alterum gigni non potest. Terræ Bœotia in Orchomenio agro talpæ habentur multæ: at in Lebadico uicino nullæ sunt, neq; si aliunde portatæ eò fuerint, uolunt infodere. In Ithaca insula lepores si aliunde illati dimittantur, uiuere nequeunt: sed eodem reuersi, unde maris introierint insulam, moriuntur. In Sicilia formicæ, quæ equites appellatur, non sunt. In Cyrenensi agro ranæ uocales præterito tempore deerant. In Africa non aper, non ceruus, non capra syluestris est. India, teste Ctesia, quanquam non fide digno, suem nec ferum nec mansuetum habet. Quæ autem sanguine carent, & quæ secessu tempore conduntur, grandiora nimirum illa possidet. In Ponto neque mollia sunt, neque testata, nisi locis quibusdam pauca. In mari rubro testata omnia mira quadam magnitudine augentur. In Syria oues sunt cauda lata ad cubiti mensuram. Capræ auriculis mensura palmari, & dodrantali, ac nonnullæ demissis, ita ut spectent ad terram. Boues nodos

An tyrtami legi debeat, an diestami, an expugi omnino, peritiores iudicent.

nodos scapularum...
Africa araneis...
sed etiam...
scuntur. In Aggre...
qua minor...
pari, ut cornes...
paret, ut lep...
per rapas, qu...
uero, omni...
nares, nec...
culis est, ut...
thica & Gal...
bitum exc...
palmi men...
do aggrum...
boem multo...
rent, cum...
nonnulli ag...
Europa par...
in Europa...
iores in Eu...
per aliq...
eodem conc...
coem & ge...
non multo...
cora quæ...
uoluntur...
pu non ble...
nigenarum...
& laconi...
cane gigni...
ad hoc cau...
Medicine...
Nova etiam...
ter, ad d...
M *Orum etiam...*
stas reddi...
na & molli...
ne firmas...
etiam bell...
Phan, lo...
& magis...
terimur, n...
sentiam &
ficus adu...
erum ang...
eur, cuius...
quidam p...

nodos scapularum flectunt, ut cameli, in Cilicia caprae tondentur, ut alibi oues. In Africa arietes statim cornigeri generantur, nec solum mares, ut Homerus scribit, sed etiam foeminae. Contra in Ponto per prouinciam Scythicam nullis cornua enascuntur. In Aegypto aliqua maiora, quam in Graecia, fiunt, ut boues, & oues. aliqua minora, ut canes, lupi, lepores, uulpes, corui, accipitres. aliqua magnitudine pari, ut cornices, & caprae. cuius rei causam attribuunt cibo, qui alijs large, alijs parce sit, ut lupis, & accipitribus. carniuoris enim parum cibi suppeditatur, propter raptus, quo uiuunt, penuriam. aues enim minores paucae ibi habentur. lepori uero, omniq; non carniuoro generi uictus ieiunior ob eam rem est, quod neque nuges, nec poma sunt diuturniora. Tum etiam multis locis, coeli & situs conditio causae est, ut in terra Illyrica, & Thracia, & in Epiro, asini parui habentur. In Scythica & Gallica nulli propter immodicum frigus. in Arabia lacerti magnitudine cubitum excedunt. Mures etiam multo foricibus auctiores, quibus crura priora uel palmi mensura, posteriora ad primum digiti nodum habetur. In Africa magnitudo anguium mira, sicut & fertur. Iam enim nonnulli ubi triremi applicuissent, ossa bouum multorum uidisse narrant, quos absumptos esse ab anguibus non dubitarent, cum triremes productas in altum, quamprimum angues infectarentur, & nonnulli aggressi triremem euerterent. Item leones in Europa potius sunt, & ea Europae parte, quae inter Acheloum amnem, & Nessum est. Pantherae in Asia, in Europa autem nullae. bestiae denique omnes ferè efferatior in Asia sunt, fortiores in Europa, multiformiores in Africa. Vnde prouerbio quodam dicitur: Semper aliquid noui Africam afferre. facit enim illius situs aquarum penuria, ut ferae eodem concurrant bibendi causa. quo quidem loco etiam quae alienigenae sunt, coeunt & generant, quorum tempora eadem ferendi uteri sint, & magnitudines non multo inter se discrepent. redduntur mitiores inter se desiderio fluuij, nam & contra quam caetera potum quaerunt. tempore enim hyberno magis, quam aestiuo. insuetum nanque his est bibere aestate, propterea quod imbres fieri per id tempus non soleant. & mures quidem cum biberint, moriuntur. Sed uel alibi coitu alienigenarum procreari apertum est, ut in Cyrenensi agro, lupi cum canibus coeunt, & laconici canes ex uulpe & cane generantur. Indicos etiam canes ex tigride & cane gigni confirmant: uerum non statim, sed tertio coitu. primo enim belluinos adhuc catulos procreari aiunt, alligantur canes locis desertis, & nisi bellua incensa libidine sit, saepe lacerantur.

γ' πη κελλε-
 κη, in Gallica.

Mores etiam animalium pro locorum qualitate differre, uenenaq; serpentum, uel mitiora, uel asperiora effici.

Caput XXIX



40 **M**orum etiam diuersitatem loca efficiunt, ut montana & aspera suas bestias reddunt & aspectu efferatior, & uiribus robustiores, quam plana & molliora. Argumeto uel sues Athi montis acceperim, quorum ne foeminas quidem spectare mares situs inferioris audent. Morsus etiam belluarum ex locorum diuersitate plurimum differunt, ut in Pharo, locisq; alijs scorpiones non laedunt. At alijs, & praecipue in Scythia multi, & magni, & nocui sunt. & si uel hominem, uel quamuis bestiam percusserint, interimunt. nec sues euadere possunt, quanquam caeteros uirulentos ictus minime sentiunt. & nigri eorum potissimum interimuntur, quosq; tamen celerrime interit, si ictus adierit aquam. Anguium quoque ictus per loca plurimum differunt. Aspisis enim anguis, ex quo medicamentum putrificum illud componunt, in Africa gignitur, cuius ictui nullum remedium est. nascitur eodem in agro, in quo laser, serpens quidam pusillus, cuius remedium lapis est, quem ex sepulchro cuiusdam regis an-

σπικου
 septicum ex
 dens à celso.

tiqui accipiunt, eoq; perfuso ex uino bibunt. Italiae locis quibusdam morsus etiam stellionum exitiales sunt. Sed omnium uenenatorum morsus grauiores sunt, si alterum ederit alterum, ut scorpionum deuorari à uipera certum est. Plurimis uero eorum aduersatur saliuam hominis. Serpens quidam minutus est, quem aliqui sacrum appellant, quem angues præmagni fugiunt, magnitudo huic ad cubitum, species hirsuta. quicquid momorderit continuo circiter putrescit. Est præterea in Indica regione serpens paruus, cuius unius remedio carent incolæ.

Quo tempore piscium genera præstantiora in cibum reddantur.

Caput XXX



Discrimen animalium ut prospere, contra ue exigant, uel utero pleno 10
existere nouimus. Testa enim intecta ut pectines, omneq; ostreariū,
siue cōcharium genus, atque etiam crusta intecta, tunc optima sunt,
cum grauida, ut late in locustis, & reliquis huiuscemodi patet. sed
quanquam testa intecta grauida dicimus, tamen nullum eorum uel
coitum, uel partum uidemus. crusta intecta nimirum & coire, & parere percipiun-
tur. Mollia etiam præstant, cum grauida sunt, ut lolligines, sepia, polypi. pisces
cum impleri incipiunt coitu, boni omnes ferè sunt. sed procedente uteri tempore
alij præstant, alij non. Alec, siue mæna utero grauis melior est. forma rotundior fo-
minæ, porrectior mari, & latior. Euenit ut cum foetu impleri foemina incipit, ma-
ris color in nigriorem, plurisq; uarietatis mutetur, & caro deterrima cibo efficiatur. 20
uocantur à nonnullis per id tempus hirci. mutantur pisces, qui merulæ, & qui tur-
di appellantur, atque etiam squilla: Vere enim nigrescunt, post uer albedinem
suam recipiunt. Fuca etiam mutat colorem. cum enim cæteris temporibus candi-
da sit, uerno uaria redditur. solam hanc ex marinis piscibus nidum sibi consterne-
re, atque in stragula parere aiunt. Alec etiam mutatur, ut dixi, & cerrus, ut ex al-
bedine rursus æstate ad nigredinem redeant: quod maxime suis pinnis, & bran-
chijs declarât. Coruulus etiam cum utero fert, optimus est, perinde ut Alec. mugis
lis uero, & lupus, & reliqui ferè omnes squama intecti deteriores sunt, cum ferunt,
similes sibi, ferentes & non ferentes pauci sunt, ut glaucus. Vitiantur etiam sen-
ctute pisces, & quidem thunni uel ad rem salsamentariam senes improbi sunt:
multum enim carnis absumitur, quod idem uel in cæteris piscibus euenit. declara- 30
tur eorum senectus duritie magnitudineq; squamarum. Iam captus est thunnus
senex, cuius pondus erat ad talenta quindecim, & caudæ interuallum ad cubita
† quinq; & palmum. Fluuatiles & lacustres pisces optimi sunt post partum, & se-
minis genitalis emissionem. Sed nonnulli etiam cum ferunt commendantur, ut sa-
perdis. alij damnantur, ut silurus. cum cæteri omnes mares suis foeminis sint præ-
stantiores. Silurus foemina præstat suo mari. & in genere anguillarum
quoque meliores sunt, quas foeminas nominant, quæ nomen
foeminæ temere acceperunt. Non sunt enim foemi-
næ, sed quia aspectu à cæteris discrepant,
foeminæ appellantur. 40

*Pro smaride,
reddit cerrum.*

† duo